
BARTHOLOMAEI RICCII ORATIO, IN QUA DISPUTATUR, VTRUM MELINUS, AN REX ABSENS...

Bartolomeo Ricci








BARTHOLOMAEI RICCII ORATIO,

In qua disputatur, vtrum melius, an Rex absens per alium, an magis ipse præsens bellum suum gerat. ad Alfonsum Ferr. Ducem.





FERRARIAE PER FRANCISCVM RVBEVM. 1561.







Agna cõtrouersia est, Alfonse Pr. amplis. vtrum in bello vtilius sit, si Princeps, aut rex, quorum causa bellum geratur, ipsi duces, an per alios, illud gerant. qua dè re cũ hesterno die duo nobiliss. atquè doctiss. adolescẽtes satis copiose vterque prô sua parte apud me disputassent, te absentem iudicẽ, me presentem, quasi cõmunem patronũ, qui æquè vtriusque argumenta, atquè rationes tibi explicarem, delegere. quare ego (vt ijs amice recepi) fidẽ meam nũc presto, ipse postea, vt a me peroratum erit, vtri magis adiudices, videbis. Continuò igitur qui per alios rem gerendam esse censebat, Regemq́; ab exercitu prorsus amouebat, his rationib. valde (vt videbatur) causam suam tuebatur. Primum. n. dicebat, in bello rei sũmam in summum discrimen haud quaquàm esse adducendã. nàm cùm multa in eo prouidenda sint, vnum illud in primis, imò vero omnium primum, ne rei summa in summum periculum vocetur, omni diligentia prouidendum esse, facile probabat. Quare etiàm signorum collationes, quę nisi

aut exploratiss. victoria, aut cum res eo ducta est, vt prœlium detrectari non possit, conferri debent, maximè deuitātur. vt etiàm non defuerit, isq́; optimus Imperator, qui bellū trahendo, cunctatoris calumniam, quàm cū Reip. aliquo periculo signa conferre, facilius sit passus. quo vno concesso, illud quoquè necessariò conceditur, Regis pręsentiam á bello gerendo omninò esse abducēdam, atquè per alios, quàm per se illud prorsus geri oportere. quandò, quàm eius presentia hoc rei summę periculum certius, ac magis pręsens offerri non possit. nàm si hic quoquomodo aut capiatur, aut occidatur, tùm cum eo posteà bellum confectum, atquè sepultum est, hostisq́; victor omnia potitur, vt nostra memoria Frācisco Gallię Regi ad Ticinum euenisse cōstat, qui optimo peditatu, meliori etiàm equitatu paratissimus, atquè adeò, qui hostē obsessum, iamq́; fame enectum habebat, subita tamen eius ex vrbe eruptione facta, capitur. quo capto, bellum confectum est, pacis conditiones ad victoris voluntatem impositę sunt. qui si plagam illam absens accepisset, continuò poterat nouum exercitum conscribere, nouas

copias comparare, bellum redintegrare, capto verò, omnia secus euenere, multò etiàm peius, cęso, euenissent. Huc accedit, quòd non è regia dignitate esse videtur, vt hic noster fecit, vt Rex maximus, quasi cum priuatis militibus in certamen descenderet. verùm si contrà hostium quoquè Rex suum exercitum duceret, túm ęquius res geri videretur, cum vtriusq; exercitus par auctoritas intercederet: vt Turcarum Reges bellicosiss. facere consueuere, qui quoties audiuere sibi pugnandum esse cum hostium Rege, atquè Imperatore, nequè ipsi domi mansere otiosi, sed se in illis bellis contra Imperatores prębuere. Quid verò si Rex iste hoc modo ad exercitum suum multifariam hosti suo prodesse videtur? Duo sunt, quib. homines in bellicis periculis versantur, seq; pręsenti morti obijcere uon dubitant. magnę prædæ spes alterum. alterum summæ glorię summum desiderium. quorum vtroque nihil maius, nequè præstãtius offerri potest, quàm cùm Rex ipse præsens bellum suum administrat: hoc enim capto cùm ingenti præda maxima gloria victor in cœlum fertur. quo impulsu hos-

tis carebit, si hic magis domi, quàm ad exercitum, bellum curabit. Deindè, quod non tantúm formidinis, atquè metus sua iste pręsentia hosti (vt isti dicunt) iniecerit, quantum etiàm studij, atquè virilis conatus in eodem excitarit. nám cúm hic rem interius considerabit, ac Regem pręsentem suis in consulendo, hortando, agendo plurimum prodesse, nusquam sibi deesse, omnia ad vnam victoriam prudenter obire, senserit, tùm vt sibi contrá hæc eadem à se comparet, omni studio, omni diligentia conabitur, atquè omnes neruos, omnes vires intendet, ne quicquam illis inferior sit. rem enim consulto incipiet, inceptam fortiter, atquè fœliciter conficiet. siquidem in consulendo Regis prudentiam vt æquet, omne suum consilium, in manu veró conferenda vt eum superet, omnes suas vires, omnes suos conatus adhibebit: quę sinè hoc regio impulsu, atq; alieno Imperatore ignauius, atquè inconsultius (vt sæpius fieri solet) agi potuissent. Quid itèm, quod in hanc victoriam hostis ea quoquè ratione magis incitabitur. quòd eam laudem, atquè gloriam, si victor sit, cum nullo Rege suo habeat com-

municandam, sed suam propriam totam agnoscat? At, quo prętereà vestitu Rex iste, si adsit, in acie, inquit, versabitur, nàm si alieno, vt fit interdum ad hostem fallendum, is tàm à suis, quàm etiam ab hostib. non agnoscetur. atquè ità nihilò amplius ꝓficiet, quàm si gregalis sit eques. Quin huic nulli auxilio id quoqué summi accedit periculi, quòd si equus illum defecerit, aut is ex eo aliquo malo fato exciderit, magnum periculum erit, ne in pugna collidatur, atquê incognitus ab omnib. inculcatus, deseratur. Si verò suo Regio induatur, vt cognitus suis animum addat, contrà hosti terrorem incutiat, respondet. Primum longé (vt nunc nostra est militia) in eam partem, in qua regium insigne conspexerit, hostem omnia tormenta militaria esse directurum, atquê vnam eam partem frequentiss. pillis verberaturum, ac Regem ipsum prò suo (vt dicunt) scopo positum habiturum. Deinde quamuis occasionem nactus, quam vndiquè obseruans, vel minimam arripiet. aut enim dolo, atquè insidijs illum appetet, aut vi aperta, atquè animi virtute vel in ipsis tentorijs aggredietur: vt Roma-

nus Porſenam Regem fecit, quem niſi no-biliſſ. adoleſcentis forma, quem prò rege accepit, fefelliſſet, vno ictu bellum illud cõfeciſſet, Po. Ro. obſidione liberaſſet. Quid, quod non ſolum hoc ab hoſte illi metuendum eſt, ſed à ſuis etiàm nihilò ignauius prouidendum? vt Pirrho Epirotarum Regi euenisset, niſi antiqua Fabricij bonitas illi præſtò affuiſſet, qui quem ſibi illum veneno necaturum obtulerat, illi cum ſuis literis, quib. eum dè tota re certiorem faciebat, victum remiſſit. Alexander verò, (vt multi ſuſpicantur,) hac vna ratione dè medio à ſuis ſublatus eſt. quo multiplici periculo, quoniam Reſp. caret, eo fit, vt potius ipſa plures reges ſit ſuperatura, quàm ſola ab omnib. Regib. ſuperanda, quià eius ſumma nunquàm per Imperatorem in periculum adduci poteſt. nam delecto vno exercitu, nouus reficitur, amiſſo veteri Imperatore, alter illi ſufficitur. vti Ro. Reip. eueniſſe conſtat, quę innumerabiles Reges ſubegit, à multis ipſa vnà ſimul fœdere iunctis nihil offenſa. Vt omnino magis Regem conſilio domi bellum gerere, quàm foris, aut in acie inſtruenda, aut exercitu ductando, aut

manu

manu conferenda conducere videatur, quandò eius persona tot sibi incommoda, tot verò hosti commoda sit allatura. Hactenus prò eo, qui Regem ab exercitu absuturum esse censebat, remq; per alios illum gerere mallebat. Nunc aggrèdiar, quid contrá hunc aduersarius, atquè statim ad rei summam, quę nunquám nisi cum res aut cogit, aut prő nobis manifestè apparet, periclitanda est. quod quidèm iste sinè vlla controuersia concedit, sed illud prorsus pernegat, in pręsentis Regis persona tantùm rei summā fortunę obijci omnino: nàm siità sit, omnes reges, qui pręsentes bellum suum gessissent, rem suam male gessissent. quod tantùm abest, vt euenerit, vt Philippus Macedo pręsens, ac rem ipse suam gerens, tot vrbes subiugaret, vt Alexandro adolescenti filio querendi causam daret. sibi nihil ab eo relinqui, in quos vires, atquè virtutem suam experiri posset. qui posteà tamèn cū multa bella, multa etiàm prælia Imperator fœliciter confecisset, magni cognomentum est adeptus. Nam quod ad veneni suspitionem (vt hoc loco illi respondeam) multis partib. ij plures sunt, qui illum

ſuapte morte obijſſe, quàm qui veneno ſublatus ſit, affirmare non dubitant. Vt non ſolúm quód Rex Franciſcus vt Imperator ad exercitum eſſet, in cauſa fuerit, vt caperetur, ſed eius ſola imprudentia, atquè hoſtium contemptus. nàm ſi is fuiſſet, qui eſſe debeat, videlicet, qui hoſtem magis fame, quàm ſuis armis obſſeſſum teneri cognoſceret, non ità illum contempſiſſet, vt prò nihilo, (quid enim pró capto dicam?) haberet, vidiſſetq́ in ſumma rei deſperatione homines propé victi, victorem ſuum ſępè ſuperare ſolere, atquè ita cautius rem gerendo nunqàm improuiſo oppreſſus fuiſſet, nequè ſuos prius fuſos, fugatoſq́, quàm armatos vidiſſet. nàm cum ego, inquit ille, Regem exercitui ſuo pręficio, non illum illi pręficio, qui ſomniculoſè rem gerat, quiq́ hoſtē nihil faciat, qui deniquè eum captum, atquè victum, cùm etiàm armatus ſit, eſſe confidat. Sed qui per exploratores, non ſolum quid ille agat, verum etiam quid conſilij capiat, atq́ conſtituat, quàm quæ in ſuo exercitu fierent, in ſingulas horas planius teneret. qui nihil omitteret. nulli ſumptui parceret. vt hoſtium conſilia, atquè deliberatio-

nes deprehensas haberet. quibus pręcognitis facile posteà illorum cònatibus occurreret, nihilq; ad suum finem eos perducere permitteret. Vt quod ad Regē Franciscū attinet, is sua potius (vt dictū est) imprudentia, atquè q; eo modo, quo esse debebat, in exercitu nō fuisset, quàm quià tantū pręsens affuit, captus sit. qui in tali quoquè casu saltem (si quid consilij habuisset) se recipere, atque ex acie incolumis excedere, atq; ēt fugere, vt iterùm pugnaret honeste potuisset. Quòd verò aduersarius hāc regiam administrationem concedat, cum par res geritur, hoc est, cùm aduersarius quoquè Rex ad suū adsit exercitum, nō aūt, si secus sit, nihil meam sententiam labefactat. nam si solus sit, multis cōmodis exercitus noster abundabit, quibus omnibus aduersarius carebit. Continuò enim res cùm maturius constituetur, tùm etiàm fortius posteà geretur. nam cùm coràm Rege quid agendum sit, decernitur, aut is id sua prudentia videt, aut à suis consiliarijs id ipsum habet optimè indagatum, qui vt illi suum consilium probent, omne suum studium, atquè industriā certatim in consultationem adhibent. id quod in re pręsen-

ti, quęcꝙ occulis cernatur, quàm ſi abſens, at-
què dè qua pręter auditum habeat nihil, mul-
tò certius iudicat. Cum veró res ad manus
peruenerit, ea quidèm ardentius geri non poſ
ſet. vrget enim (inquit ille) pręſentia Turni.
quis enim vel ſupra vires ſuas non conabitur
antè ſui Regis occulos cum hoſte pręliari, cui
proprio deſiderio ſperatę quoquè glorię deſi-
derium accedit, cuius tantus ardor eſt, tanta
vis laudis, atque dulcedo, vt quiſque potius
in hoſtium mucrones incurrere, quàm loco
pedem ne lato quidem pede referre, atque an
te Regis conſpectum fortiter pugnans cade-
re, quàm ſaluti ſuę quouis alio modo conſu-
lere mallet. Hoc autem, etſi ſua quiſꝙ ſpon
te facit, tamen cum Rex ipſe quamque aciei
partem obit, atque vnamquanque nationem,
Duces veró ipſos nominatim hortatur, vt in
rem ſtrenue, ac fortiter incumbāt, victoriam
illis certam proponit, parumꝙ abeſſe, quin
hoſtes terga vertant, ſummam belli in eo prę
lio eſſe, ex cuius victoria ſint ſecum poſteà tri
umphaturi, demonſtrat, huncꝙ poſtremò diē
quātum quiſque armis in hoſtem, fide autem,
ac beneuolentia in ſe valeat, declaraturum.

quis tum eorum etiàm ſugiens, in prælium non recurret ardentius? quis fortis, non multò etiàm fortior fiet? quis ſautius, atquè pugnandò defenſus, non integris viribus, non recentiſsimus reddetur? quorum ſi nihil àd ſit. hoc eſt, ſi Rex abſit, meticuloſus non ſolum, non pugnabit, ſed vt primùm facultas dabitur, ſe (vt leuiter dicam) recipiet, ordinem deſtituet, atquè omnia conturbabit. fortis, ac gloriæ cupidus etiàm Regi abſenti ſuapte ſponte, atquè virtute omnià præſtabit, ſed multò tamen fortius, atquè valentius in pugna ſe geſſerit, ſi, ſuo Imperatore Rege pugnarit ſpectante, atquè ſe impugnam hortante: illumq; equum imitabitur, qui natura in curſu maximè incitatus, ſi tamen calcaribus etiàm incitetur, multò velocius campum tranſmittet. Sed quoniam fortuna in omnibus rebus, præſertim autèm in bellicis dominatur, nulla victoria tàm explorata eſt, quam victori, ſi volet, eripere non poſsit. ſi verò in ipſo conflictu tale quid acciderit, preſtò Rex adeſt, qui ſua prudentia ſtatim illi occurat, atquè aliò, atquè etiàm interdùm in hoſtes ipſos illud conuertat. vt in eo bello,

quod Tullus aduersus veientes, atquè fidenates gessit, comprobatum est. nám cùm in medio prælio Rex audisset, Sufetium se prodidisse, atquè cum suis copijs ad hostes transisse, continuò suis alta voce, vt etiàm hostes audirent, clamauit. nolite timere. ego Sufetium cum suis copijs eò misi, vt hostem á tergo adoriretur. quo audito suis animus redditus est, hosti verò metus non paruus iniectus. atqué ità hinc fortiter pugnando, illinc lente, ac timidè agendo, Romanus victoriam reportauit. quo tempore si Rex abfuisset, res romana collapsa fuisset. nequè credendum est, Alexandrũ tot regna, tot prouintias tàm facilè capere potuisse, nisi ipse rem suam gerens in bello continenter affuisset. At is tandem veneno à suis sublatus est. at id domi quoquè illi accidere poterat. non enim quòd ad bellum fuisset, illud venenum (si omnino veneno perijt) illi comparat, sed nimià eius Ducum regnandi cupiditas, qui eius regnum inter se posteà dispertiuere.
At prædę & summæ gloriæ spes, quas duas res miles in bello tantùm sequi videtur, nusquàm illi maior proponitur, quàm cum Rex

in bello, atquè in acie versatur, vt qui cum suis principibus aut capi, aut fugari possit. quo perfecto, post nobilissimos equos, pręciosa arma, ac præsentem vestem, atquè pœcuniam, redemptionis quoquè pœcunia consequitur. gloria verò, quę omnibus historijs celebretur. Quare videndum est, ne hac ratione hostem in nos potentiorem reddamus. Concedo, inquit, qui à Rege est, meos non eam spem habere, aut tantæ prædæ, aut tantæ gloriæ, quantam meus hostis habet. Sed illud contrà affirmo, Regios prò suis spolijs tuendis, atquè gloria consequenda, ne scilicet ab humili exercitu Regius exercitus superetur, ac spolietur, manibus ac pedibus omnia conaturos, quandò turpius est, atquè cum maiori fit infamia, omittere quod suum habeat proprium, quàm alienum non acquirere. quare vt illi omnes neruos intendent in Regiam prædam cousequendam, ità contrà Regij, ne illis prædæ sint, omnes neruos, atque vires adhibebunt, ac vitam potius ipsam, quàm rem omittent. in quo facto cũ eorum res sit, horum verò spes, quanto hæc superiori inferior est, tanto etiàm

in prælio posteriores, qui spe, quàm qui rem possident, erunt futuri. nàm si Rex is sit, qui militarem scientiam (vt par est) probè teneat, neque eius proceres, atquè equites Tirunculi sint, atque in armis parum exercitati, quiq; ad primum tubæ sonitum fugam arripiant. sed quorum terga ne in pugna quidem hostis viderit. nihilo in re sua tuenda, atq; gloria cõseruanda, quàm hostes in ijsdem inuadẽdis, minus valebũt. Quod verò ille dicat hostem prudentiorem, atque fortiorem ex hostis Regis presentia reddi solere, vt qui se vident aduersus Regem, cuius vincere maxime intersit, esse pugnaturum, quare etiàm itá se comparat, vt non solúm cum illo pugnare audeat, sed illum etiam capere confidat. hoc quidem, vt ità sit, multis tamen ij plures sunt partib. quibus ne id quidem in mentem venit cogitare, certè meticulosis, quibus exercitus pleni sunt, hac ratione nihil profuit, qui in tali casu nihil aliud cogitant, nisi vt salutem pedibus sibi comparent. sed nullum terrorem hosti iniecerit, qui illo vacuus esse non poterit, quoties aduersus regem, cuius res tota agi intelligat, se pugnare videat. certe suis meticu-

losis

culosis omnem viam occluserit, nequid aut ignauius agant, aut etiam aufugiant. fortes verò (vt dictum est) animosiores efficiet. Nequé illud audiendum est, quòd commodius cum ijs militibus agatur in victoria, cui nullus suus adsit Rex comparanda. quoniam hanc cum illo nullam habeant cõmunicandam. quasi verò contrà Imperatorem, qui illis prò Rege sit, non habeant, cui maior eius pars attribui debeat. In Regis verò vestitu multum etiam ponunt, quod ab Rege sit. nàm si alieno, ne à suis quidem agnoscetur, vt, si casus ferat, adiuuari possit. si suo, tùm suo inditio se hosti prodiderit. vtroque, inquit, cum res postulabit, vtetur, vt si res dolo conficienda sit, tum vel rustico induetur. suo verò, cum sui cognitione opus erit. atquè ità suis profuerit, hosti verò alterum tantum obfuerit. Isconij Princeps (vt dè nostris agam) cùm vrbium, atque locorum situm, atque naturam cognoscere vellet, tùm vel mendici vestitum sumebat, cùm verò palàm in acie versandum esset, non solum sua veste, sed notiss. etiàm armorum signis pugnabat. atque itá vbi auxilio opus esse videbat, illò prestò ccur-

rebat,ac loco deiectus subueniebat. vbi verò hostis acies inclinare sensisset, tùm sua manu, atque sua præsentia eam premebat,atque cedentem insequebatur, atque ità suis animum addebat, hosti verò adimebat. neque itá latus apertum à suis equitibus hosti præbebat, vt se capi posse quicquam timeret. Vt in uestitu tantúm absit, vt quicquàm Rex offendat, vt eo quoque rei suæ plurimum consulat. Postremò verò, qod Reip. exemplo sententiam suam tueri conetur, quæ quoniam per alios bella gerat, magis hostem superet, quàm ab hoste superetur. Ego non ea ratione eam vincere censeo, quia summam rei in summū periculum adducere non posit. sed quia optimis Imperatoribus,fortissimis ducibus. atq; exercitatissimis militibus, vt romanam fecisset legitur, bella gerebat. Habes Alfonse, Princeps Amplissime vtriusque causā (quantum in me fuit)planius peroratam. nunc restat, vt ipse de ea, quid sentias, proferas. cui tuæ sententiæ nullam se prouocationem habituros, pollicentur.

FINIS.

Mc